

B. N. II, 46:

H. 6, 13.

X 1903796

II m
4875

Q. D. B. V.

ORIGINES ET SVCCESIONEM
PRINCIPVM
ARAVSIONENSIVM

V S Q V E A D

VVILHELMVM III.
MAGNÆ BRITANNIÆ
REGEM

explicabunt

PRÆSES

CASPAR SAGITTARIVS, D.
HISTOR. SAX. ET HISTORIAR. PROF. P.

ET RESPONDENS

IO. CONRADVS FRANCK
REGIOMONT. PRVSSVS

ANNO CID IDC XCI. MENSE MAIO.

IENÆ TYPIS NISIANIS.







I. N. J.

§. I.



RINCIPES ARAVSIONENSES no-
men habent ab Arausione, antiquissi-
ma Gallia Narbonensis civitate, quæ
a Romanis per Coloniam eo dedu-
ctam, sive condita, sive aucta, COLO-
NIA ARAVSIORVM, ac SECVN-
DANORVM, & CIVITAS ARAV-
SINORVM, item VRBS ARAVSIO-
NENSIS, vocabatur.

Colonia Arausiorum, Αραυσίων, meminit Ptolomæus lib. II. cap. X. Coloniam Secundanorum habet antiquus lapis:

COL. ARAVSIO. SECVNDANORVM
COH. XXXIII. VOLVNT.

Plinius *Histor. Natur. lib. III. cap. IV.* ubi agit de Narbonen-
si provincia: *In mediterraneo Colonia Arelate Sextanorum, Bli-
terra Septumanorum, ARAVSIO SECVNDANORVM.* Pom-
ponius Mela *lib. II. SECVNDANORVM ARAVSIO, Sexta-
norum Arelate, Septumanorumque Blitera. Sed antestat omnibus
Atacinarum Decumanorumque Colonia.* Vbi Joachimus Va-
dianus, Vir, supra quam dici potest, doctus, in *Commenta-
riis: Arausio, nunc Arausinenfis Civitas dicta. Secundanorum,
ut alia Sextanorum Septumanorumque, & id genus cognominibus
adpellantur: a legionum videlicet ordine numeroque, illuc a Trium-
viris Caf. Dictatoris cura adhibitis de auctarum eo modo, quo secun-*

A 2

duna

dum Gracos Romani frequenter sunt soliti. Et paulo post: Secundani ergo secundae legionis milites, ut Sextani sextae, Decumani decimae, sicq; de aliis ordinum militibus pariratione. Capitolinus in Clodio: Tribunus equites Dalmatas egit, & legionem Quartanorum. Tacitus lib. I. Inferioris exercitus miles in rabiem prolapsum est, orto ab Undecimanis Quintanisque initio, & tractis prima quoque & vicesima legionibus. Et paulo infra: Quartadecimani, inquit, paulum dubitaverant: Item: Sinistrum latus Vicesimani, dextrum Quintani clausere. Hæc Vadianus. Civitas Arausionorum vocatur in Itinerario Imp. Antonini. Huc refer sequentia ex insigni Inscriptione Statuæ Romæ in foro Trajani anno CIOICLV. repertæ:

CVRATORI. CIVIT. ARAVS.

Vrbs Arausionensis audit Sidonio lib. VI. Ep. XII.

§. II. Antiquitatis Arausionensis inter cetera illustre documentum habemus rudera Arcus triumphalis, quem in honorem C. Marii & Luciatii Catuli, post Cimbro Teutonasque triumphatos exstructum volunt.

Gvilielmus Paradinus de antiquo Statu Burgundie cap. XV.

In hac descriptione celebriores sunt hodie Massilia, Avenio, Aquæ Sextiæ, ARAVSIO Cabilonensium imperio olim insignis: in qua theatri ingentis ruinas, & stupendi operis murum quadrato affabre lapide vidimus, & cui haud scio an Gallia universa similem habeat. Est & ad portam, qua Lugdunum spectat, Arcus triumphalis, cum insculpta equestri pugna, quam diu magna voluptate spectavimus. Legantur varia Itineraria, & in his ERNESTI Junioris, Ducis Saxoniae, a Johanne Wilhelmo Neumaiero editum, & a B. patruo meo Thoma Sagittario grandi carmine expressum: ut & CHRISTIANI ERNESTI, Marchionis Brandenburgensis, ab Sigismundo a Birken evulgatum. Latius & hunc arcum, & ceteras Arausionis antiquitates describit Abraham Gölntzius Dantiscanus, in Vlysse Belgico-Gallico, libro eleganti.

§. III. Arausio fuit urbs Episcopalis. Inter Episcopos olim floruerunt Constantinus, Eutropius, Florentius.

Con.

Constantinus reperitur inter Episcopos Galliae, qui ad Concilium Aqvilejense contra reliquias Arrianorum anno CCCLXXXI. habitum missi sunt. *Entropius* Hilario Papae, Leonis Magni successori, & Sidonio Apollinari laudatur. *Florentius* subscripsit Concilio Epaonenfi anno 10XVII.

§. IV. Arausione aliquot Concilia fuere habita.

Nempe anno ccccxli. cui Eucherius Lugdunensis interfuit. Canones in eo sanciti undeviginti. Et anno 10xxxix. ob dedicationem templi, a Liberio, cui Galliae praefecturam Theodoricus commiserat, exstructi; item ob libros Fausti, hujusque sectatores. Videantur Caesaris Baronii *Annales Ecclesiastici*, Jacobi Sirmondi, & Stephani Baluzii *Concilia Gallicana*, Johannis Cabassutii *Notitia Conciliorum*.

§. V. De statu Arausionis tempore regni Burgundici veteris parum nobis est compertum, nec puto quemquam reperiri, qui eo natales Principatus detulerit.

De Burgundia Seqvanica, sive Regno Burgundiae veteri curate egit reconditae vir doctinae, Conradus Samuel Schurtzfleisch, in *Historia Veteris Regni populiqve Burgundionum*.

§. VI. Igitur Principatus ille serius est coortus, ac forte Caroli Calvi Bosonisqve reguli temporibus. Postquam enim vetus regnum Burgundiae in Francorum Regum ditionem, ac a Merovingica ad Pipingicam familiam, & in hac per Carolum Magnum ad superstitem unicum filium Ludovicum Pium pervenit; ab ejus excessu bellum civile inter trigam filiorum ejus, Lotharium I. Ludovicum, & Carolum Calvum, ita est compositum, ut Lothario praeter Imperatoriam dignitatem, Austrasia cum titulo Regis Burgundiae, atqve inferiori hujus parte obtingeret. Lothario monasterium ingresso, sic inter filios convenit, ut Carolo regnum Burgundiae assignaretur. Carolo, ac post Ludovico II. demortuis, Carolus Calvus Burgundiam sibi vindicavit,

cavit, cujus partem Provinciam, jam Imperator, Bosoni Iudithæ uxoris fratri cum titulo regio commisit: qui & anno 1000CLXXIX. in Regem Burgundiæ coronatus est.

- Singula testimoniis firmare, nunc non est nostrum. Sed de novo Rege a Carolo Calvo in parte Burgundiæ instituto id faciemus. Aimoinus quidem *de Gestis Francorum lib. IV. cap. XXXII.* eum tantum Ducem creatum tradit. Anno 876 DCCCLXXVI. Carolus Roma exiens, Papiam rediit, ubi & placitum suum habuit, & Bosone uxoris suæ fratre Duce ipsius terra constituto, & corona ducali ornato cum collegis ejus, quos idem Dux expetiit, in eodem regno relictis -- iter acceleravit. Sed alii id de regia dignitate acceperunt. Regino Prumiensis lib. II. ad annum 877 1000CLXXVII. Carolus ab urbe Roma in Langobardiam reversus est. Bosoni Germanichildis Reginae Hirmingardem filiam Ludovici Imperatoris in matrimonium jungit. -- Dedit in super eidem Bosoni Provinciam, & corona in vertice capitis imposita eum Regem appellari jussit, ut more priscorum Imperatorum Regibus videretur dominari. Marianus Scotus *Chronicorum lib. III.* ad eundem annum: Carolus Imp. Bosoni Germano suo, Richildis Reginae filio (locus est corruptus, & ex Reginone & Sigeberto corrigendus:) Irmingardem filiam Ludovici Imp. cum maxima gloria uxoravit, deditque ei Provinciam: & corona capiti ejus imposita, Regem eum jussit appellare. Sigebertus Gemblacensis in 878 *Chronographia* ad annum 1000CLXXVIII. Carolus Imperator Romam secundo profectus, Bosoni Germano uxoris suæ neptem suam, filiam Ludovici Imperatoris, uxorem dedit, & data ei Provincia in Regem eum coronavit, ut etiam Regibus imperare videretur. Fal-litur ergo Paradinus, qui Bosonem a Pontifice Romano Iohanne seu vi. seu precario (hæc enim ejus verba sunt:) Burgundiæ insignia accepisse, ac non modo Ducem, sed & Regem declaratum, tradit. Verum illa, sive ducalis (ut habet Aimoinus) sive regia, (ut reliqui a nobis laudati tradunt:) coronatio Bosonis Carolina differt ab altera Lugduni, sive Mantalæ in finibus Viennæ, instinctu uxoris ejus facta anno 1000CLXXIX. De qua iterum Aimoinus *lib. V. cap. XXXIX.* Interea Boso (per-

(persuadente uxore sua, quæ nolle se vivere dicebat, si filia Imperatoris Italiae, & desponsata Imperatori Græciæ, maritum suum Regem non faceret) partim comminatione constrictis, partim cupiditate illectis, pro Abbatibus & villis eis promissis, & postea datis, Episcopis illarum partium persuasit, ut se in Regem ungerent & coronarent. Et Regino: Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXXIX. Boso (de quo paulo superius mentionem fecimus) audita morte Ludovici a Provincia egreditur, totamq; Burgundiam occupare nititur. Denique nonnullos Episcopos partim minis, partim suasionibus in societatis fœdera colligit, & Lugdunum ingressus, ab Aureliano ejusdem urbis Metropolitanano, & aliis Pontificibus in Regem super præfatum Burgundiæ regnum inungitur.

§. VII. An ergo dixeris, uti Carolum Calvum Imp. Regibus, sic Bosonem Regem, ut Ducibus ac Principibus imperaret, novum in Burgundia, quæ post a sede primaria, Arelatensis regni nomen accepit, Principatum Arausionensem condidisse?

Conjectura hæc est, fateor: quæ uti mihi nondum exasse satisfacit, ita aliis nolim obtrudere. Ac forte recentior est Principatus ille, quam ut ad hæc tempora pertineat. De regno Arelatensi legenda est Ioachimi Iohannis Maderi præfatio Gervasio Tilberienfi præmissa, cui multum debet illustris quondam Ictus noster, Iohannes Strauchius, in singulari Dissertatione de Regno Arelatensi.

§. VIII. Quomocunque tamen cum Arausione & regione finitima proximis temporibus res fuerit comparata; id certum, parem cum regno Arelatensi, & Comitatu Provinciæ quæ regni hujus pars fuit, fortunam fere subiisse. Nam ipse Principatus Arausionensis in Provincia locum habet.

Provincia regni Arelatensis portio interdum *Marchia*, plerumque *Comitatus* nomine venit. Sic Raimundus in literis ad Regem Francorum Ludovicum, se vocat *Ducem Narbone*, *Comitem Tolosa*, & *Marchionem Provincia*: ejusque uxor *Constantia*,

stantia, cum huic Ludovico fratri suo scriberet, se ejus *unicam sororem, Comitissam Tolosæ, Ducem Narbonæ, Marchisam Provinciae*, appellat. Godefridus ad S. Pantaleonem Colonienfis Monachus in *Annalibus* scribit ad annum *ciocccxxvi*. Imperator (Fridericus) se contulit ad oppidum Haginhovve (Hagenovia est in Alfatia:) in quo hyemavit. Ibi affuerunt Comes Tolosanus & Comes Provinciae. Recepit autem Comes Tolosanus Marchiam Provinciae ab Imperatore, homagium sibi prestans. Anno quidem *ciocxxv*. Provinciam a Comitibus Tolosæ & Barcinonis, nomine uxorum in duas partes divisam volunt, sic ut pars una, *Comitatus*, altera, *Marchiæ* nomen haberet, adeoque Comites Provinciae a Marchionibus distingverentur. At in decreto Urbani Papæ II. anno *ciocxcvi*. jam Raimundus Comes Tolosanorum, Dux Narbonæ, & Marchio Provinciae appellatur. De Comitibus Provinciae, videatur Honoratus Bouchæus in *Historia Provinciae*. Laudatur etiam Ruffi *Historia Comitum Provinciae*. Arausionem Provinciae computari, testatur quoque Hadrianus Valesius in *Notitia Gallie*. Nam *Arausio*, inquit, licet *Nassaviis* pareat, & *Avenio*, *Vasio*, *Cabellio*, ac *Carpentorate*, licet *Antistitibus Ecclesie Romanæ* obediant, non minus tamen ob id, quam ceteræ, pro urbibus Provinciae haberi debent. Dixi ante, Provinciam regni Arelatensis, sive Burgundici, fuisse portionem. Atque id negari nequit. Neque te tamen turbent scriptores, qui Provinciam a Burgundia separant. Quod si enim id fiat ante Arelatensis regni ortum, hoc est, ante Bosonis tempora, tum veteris Burgundici fines aliter, ac postea, habuisse cogitemus: sive id faciant recentiores, pro Principum Comitumve his vel illis partibus regni Arelatensis imperantium statu, sed & interdum pro genio scribentium, factum putemus. Quo de nunc nobis non licet esse accuratis.

§. IX. Qui olim Provinciae, iidem Arausionis, & Principatus Arausionensis supremi fuere Domini.

§. X. Quia autem Germaniæ nostræ Reges, iidemque fere Imperatorum Romanorum titulo & juribus insignes,

gnes, Provinciæ supremi fuere Domini, quid aliud inde sequitur, quam & Arausionenses Principes in eorum potestate fuisse?

Id ipse fassus est Historicorum, non Galliæ modo, sed & totius eruditi orbis princeps, Iacobus Augustus Thuanus, cujus hæc sunt lib. XXXI. *Arausio Imperio Franco-Germanico olim subjecta fuit, ut ex bulla aurea Academiae ejus institutionem complectente constat, aliæque præterea, quæ privilegiorum Ecclesiæ primariæ a Friderico II. anno 1000xxv. concessorum confirmationem sanxit: ex moneta item, quæ cum Imperii insignibus cudebatur; & tabellionum privilegiis, qui auctoritate Imperiali instrumenta publica conficiebant.* Quid clarius dici possit, non video. An autem illæ ipsæ privilegiorum Arausionensis Academiae, nec minus Ecclesiasticorum tabulæ in lucem venerint, non habeo affirmare. A Thuano visas lectasque, nullus dubito. Academicum autographum Arausione sancte quondam asservatum novi.

§. XI. Pleraque ergo privilegia vetera, Germaniæ nostræ Regibus debere Principes Arausionenses, in confesso est.

§. XII. Familiæ Principum Arausionensium numerantur quatuor. I. CORNETANA. II. BAVSCIA. III. CABILONICA. IV. NASSOVICA.

§. XIII. CORNETANAM in *Gvilielmo Corneto* circa annum 1000. cœpisse, in *Ramboldo IV.* circa annum 1000LXXVII. desisse, volunt.

1177

Sed volunt recentiores. Nondum enim omnia satis discussa, & antiquis scriptionibus comprobata sunt.

§. XIV. In BAVSCIANA *Bertrandus Bauscus* medio seculo XIII. inclaruit, deque prærogativis ac immunitatibus Arausionensis Principatus anno 1000XLII. Notitiam confecit.

B

Thua-

Thuanus d. l. *Arausionensis Principatus tandem ad Bauscorum Regulorum familiam, seu successione, sive alio titulo devolutus est, eadem prerogativa & immunitate, quibus hodie Imperii (Germanici) Principes fruuntur. De quibus instrumentum fuit confectum a Bertrando Bausco anno CI CCC XLII. eid. Decembris. Ex hac Bausciana familia forte oriundi fuere Hugo de Baucejo ejusque frater Guido, qui in expeditione sacra Ludovici IX. Galliae Regis a Saracenis occisi, teste Gvilielmo de Nangiacco, Monacho S. Dionysii, in Gestis Philippi III. Audacis, Regis Francorum.*

§. XV. Bertrando successit Gvilielmus Bauscus, quem tamen Carolus Andegavensis, Ludovici IX. Galliae Regis frater, qui postea Rex Siciliae factus est, in clientelam recepit; postquam hic per matrimonium cum Beatrice, filia Raimundi Berengarii, ultimi ex Barcinonensium Comitum familia, Provinciae Comitatum accepit anno CI CCCLVI.

Raimundus ille Berengarius, Beatricis Sabaudicae maritus anno CI CCC XLV. denatus, quatuor habuit filias. I. *Margaretam*, Ludovici IX. Galliae Regis uxorem. II. *Eleonoram*, Henrici III. Angliae Regis conjugem. III. *Sanciam*, Richardo, Angliae Regis fratri, eidemque post Regi Romanorum nuptam. IV. *Beatricem* nostram. Is ipse autem Berengarius Raimundus fuit, qui nomine Comitatus Provinciae, Frederico II. anno CI CCC XXXVI. Hagenoviae homagium praestitit. Quod patet ex his Godefridi verbis, quae ista ad §. VIII. allata excipiunt: *Comes autem Provinciae quinquagenarius ideo tunc primum ad gradum militiae est provectus (zum Ritter geschlagen worden:)* quod Comites suae parentela se non credunt diu posse vivere, postquam gradum militiae sunt adepti. *Nec adhuc miles factus esset, nisi Rex Franciae, & Rex Angliae, quorum uterque suam duxerat filiam in uxorem, ipsum ad hoc prece multimoda compulissent, indignum reputantes, suum socerum militem non esse.* De Beatricis arrogantia, Paulus Aemilius Historiae Gallicanae scri-

scriptor, in Ludovico IX. *Ea trium jam Reginarum soror, moleste ferebat, se omnino Comitem salutari scriberique, duas sorores Reginas, tertiam etiam Augustam habens. Quid cum hac Beatrice Comitatum Provinciae acceperit Carolus Andegavensis, testatur quoque Ptolomæus de Luca, ordinis Fratrum Prædicatorum, in Genealogia & posteritate Caroli Regis Sicilia, fratris Ludovici IX. Prædictus Rex, inquit, Carolus uxorem habuit filiam Raimundi Berengarii Comitis Provinciae, nomine Beatricem, quæ fuit ultima filia & heres dicti Comitis, & habuit dictum Comitatum Provinciae. Hinc & Carolus passim audit Comes Provinciae. Idem Frater Ptolomæus: Anno Domini MCCLXIII. Pontificatus Domini Urbani Papæ IV. anno secundo, idem Papa — de consilio Cardinalium Comitem Provinciae nomine Carolum, fratrem Ludovici Regis Francorum, in suum advocat auxilium. Compiler Chronicae Augustensis ad annum CIÖCCLXI. Urbanus Papa IV. regnum Siciliae Carolo Comiti Provinciae tradidit. Et ad annum sequentem: Urbanus Papa IV. regnum Siciliae, quod Manfredus violenter detinebat, Carolo Comiti Provinciae, fratri Regis, ut illud ab eo eriperet, contulit. Ipse Urbanus Papa ad Ludovicum Regem, Caroli fratrem, sic scribit: Nos licet non ignoremus sinceritatis Regiæ puritatem erga dilectum nobilem virum Comitem Provinciae, ac Andegavia Comitem, Germanum tuum. Et ad Reginam: Inter te ac dilectum filium nobilem virum Carolum Comitem Provinciae pacem tanto desideramus, & nunc precipue procuramus ardentius, quanto fore novimus indecentius, nec minus periculosius, tam sublimes, tamque conjunctas affinitate personas animorum contrarietate disjungi. Quia autem Urbanus Papa Reginam Carolo affini conciliare cupit, forte dissensio ob hæreditatem Provinciae nata est. Quid cum Guilielmo Bausco egerit Carolus, non sivit nos ignorare Thuanus, cujus narrationem repeto. Ita res in eo Principatu fuerunt usque ad annum CIÖCCLVI. quo Carolus Andinus Ludovici IX. frater, qui Beatricem, Raimondi Berengarii, ultimi ex Barcinonensium Comitum illustri familia Provinciae Comitis filiam uxorem duxerat, eam ditionem crevit, & Guilielmum Bauscum Arau-*

*fionis Principem tanquam beneficiarium in fidem accepit per Odo-
nem Fontenaxium, magnum Provincia Senescallum. De Rai-
mundo Berengario id notes, jam seculo XI. alium gemini
nominis Comitem Barcinonensem floruisse. De quo Hie-
ronymus Surita lib. 1. Rerum Aragonensium ad ann. CIO LV.
Raimundus Berengarius Barcinonensis Comes, & Almois ejus uxor
Senescallum Catalonia Raimundo Myroni tradunt. De veteribus
Comitibus Barcinonensibus scripsit Franciscus Diego.*

1307 §. XVI. Quia autem partem Principatus Arausio-
nensis a Bausciis acceperunt Equites Hierosolymitani, Ca-
rolus II. Caroli I. filius, tot regulorum suspectam habens
potentiam, ab Equitibus illis permutationis titulo partem
hanc comparavit anno CIOCCCVII. eandemque Ber-
trando Bausco una cum toto Principatu fiduciaria lege
adscriptit.

Thuanus: *In eo Principatu & partem habebant Hierosolymi-
tani equites, a Principibus, ut vero fit simile, in societatem asciti ob
virtutis famam, & precipuum belli adversus Saracenos gerendi, cui
illi destinati erant, ea etate studium: — idq; ex numis plerisq;
patet, quibus in antica parte Arausionensis Principis, in postica
Hierosolymitani ordinis insignia visuntur insculpta. — Carolo
Carolus II. filius successit, qui tot regulorum suspectam potentiam
habens, ab Hierosolymitanis equitibus permutationis titulo partem,
quam in Arausionensi Principatu habebant, comparavit anno
CIOCCCVII. XI. Kal. Novembris, eamque mox Bertrando Bausco
attribuit, lege adjecta, ut ipse posterique ejus de Principatu uni-
verso, tanquam beneficiarii, Provincia Comitibus fidem deinceps
prestare cogerentur. Ea de re instrumentum confectum anno se-
quenti XI. Kal. April. Carolus I. Rex Siciliae mortuus, & Nea-
poli sepultus anno CIOCCCLXXXIII. Ptolomæus de Luca:
Anno Domini MCC LXXXIII. predictus Rex Carolus moritur, & in
majori Neapolitana Ecclesia sepelitur: cui in dicto regno, & Comi-
tatu Provincia successit presatus Carolus filius suus: vocatus postea
Rex Carolus II.*

§. XVII.

§. XVII. Postea Roberto Caroli II. filio tertio genito, Duci Calabriae, Bertrandus Bauscus fidelitatis sacramentum praestitit.

Factum id vult Thuanus anno CI CCCCVIII. Sed id fieri vix potuit, si Carolus Roberti pater anno CI CCCXCIX. demortuus. Quo de iterum Ptolomæus: Anno Domini MCCCIX. 1309
v. die introitus Maji obiit supradictus Carolus II. Rex Siciliae, anno regni sui computando ab obitu patris xxv. Anno Domini MCCCIX. Dominica prima mensis Augusti coronatus est praedictus Robertus Dux Calabriae in Regem Siciliae per Dominum Clementem Papam in Avenione. Perperam autem Carolum II. primogenitum Caroli I. facit Antoninus Archiepiscopus Florentinus *Historialis parte III. tit. XXI. cap. II §. 1.* Anno inquit Domini MCCCIX. de hac luce migravit Carolus secundus Rex Apuliae. Hic quidem fuit valde liberalis & graciosus, ita ut diceretur alter Alexander. Et si in munificentia, sed non in arte bellandi & industria aut fortuna similis. Et in senectute sua effeminatus posuit maculam in gloria sua libidine victus. Successit autem ei in regno Robertus primogenitus ejus, Dux Calabriae. Qui cum magna Comitum Baronum per mare transiit in Provinciam, exinde ad Clementem Papam pro corona: & ab eo coronam accepit regni Apuliae & Siciliae. At tit. XXI. cap. VIII. §. IV. Robertum secundum natu vocat. Rectiora nos docet Ptolomæus, cujus verba iterum adscribo: Hic Rex Carolus II. uxorem duxit Dominam Mariam, filiam Regis Ungariae: quae suo patri successit in regno Ungariae: ex qua praedictus Rex Carolus multos filios & filias habuit: quorum primogenitus fuit Carolus, cognominatus Martellus, Princeps Salernitanus; qui viventibus suis patre & matre, est in Regem Ungariae coronatus. Premortuus est autem dictis suis patri & matri. Secundogenitus vero dicti Regis Caroli fuit S. Ludovicus, Episcopus Tholosanus. Tertio-genitus Robertus, Dux Calabriae: qui patri successit in dicto regno Siciliae.

§. XVIII. Bertrando Bausco Wilhelmus filius successit, qui a Roberto iisdem conditionibus quibus pater, in fidem acceptus est.

Thuanus *d. l.*

§. XIX. Wilhelmo Raimundus I. & huic Raimundus II. filii successere, qui ambo Iohannæ Reginae Caroli Calabriae Ducis filiae, Roberti nepti, sacramentum fidei dixerunt.

Idem Thuanus. De Iohannæ hujus patre Carolo ita F. Ptolomæus: *Robertus duas uxores habuit: primam, cum adhuc esset Dux, Dominam Violantem, filiam Regis Arragonum: ex qua habuit filium Carolum Ducem Calabriae: aliam vero Dominam Sancciam, filiam Regis Majoricarum: ex qua nullus ei heres supervixit. Porro de Carolo hujus gemino matrimonio, & nata ex posteriori, Iohanna: Antedictus Carolus Dux Calabriae, filius predicti Roberti Regis Siciliae duas uxores habuit: primam, sororem Ducis Austriae, ex qua nullam prolem procreavit: secundam Dominam Mariam, filiam Domini Caroli de Valoys ex tertia uxore: quæ fuit filia Comitis S. Pauli: ex qua dictus Dux duas filias habuit, primam Dominam Iohannam, presentem Reginam Siciliae: & Dominam Mariam; quæ nata est post mortem dicti sui Patris. Mox de morte patris: Predictus autem Dux Calabriae mortuus est anno Domini MCCCXXIX. in die beati Martini, vivente adhuc patre suo Roberto Rege predicto. Hæc Iohanna, avo vivente, ac volente, nupsit Andreæ, cognato juveni Regis Vngariæ filio: perinde ut Maria, sororum minor, majori ejus fratri Ludovico desponsata, sed domum non deducta fuit. Idem: Viventibus vero predictis Roberto Siciliae, & Carolo Vngariæ Regibus, contractum est matrimonium inter prefatum Andream secundogenitam suprascripti Caroli, Regis Vngariæ, & predictam Dominam Iohannam, filiam suprascripti Ducis Calabriae, Duxque & Ducissa Calabriae nuncupantur. Et ordinatum est contrahi matrimonium inter prefatum Ludovicum primogenitum Regis Vngariæ, & predictam Dominam Mariam secundogenitam Ducis Calabriae suprascripti: ad hoc quod omnino prenominatum regnum Siciliae ad hæ-*

redes

redes Regis Vngariae deveniret. Hæc autem Maria nupsit Carolo Duci Duracii, Iohannis filio, Caroli II. nepoti: qui ob id a Ludovico capite plexus est. At Iohannæ maritus Andreas anno CIO CCC XLV. interfectus fuit, fraude ipsius Iohannæ. Frater Ptolomæus: Anno Domini MCCCXLV. interemptus fuit prædictus Rex Andreas in Aversa, mense Septembri, dicta Domina Iohanna Regina ejus uxore prægnante: ex qua natus est postmodum filius, dictus Carolus Martellus. Antoninus parte II. tit. XXI. cap. VIII. §. IV. Ex Carolo Hungariæ Rege alius nomine etiam Carolus natus est. Huic duo filii superstites fuerunt, scilicet Ludovicus & Andreas, quem Andream adhuc adolescentem Robertus Rex Apuliae, ut supra tactum est, quasi bona fide recognoscens, ut ad eum rediret regnum ipsum, ad quem prius magis de jure spectabat, Iohanna nepti suæ ex filio scilicet ortæ maritum dedit, ac una cum illa regnare in Apulia testamento constituit. Traductus igitur Italiam adolescens Andreas, & Iohanna conjunctus, cum non satis bene inter se convenirent, nec desset, qui maritum contra Reginam concitarent, eoque simultates odiaque occulta processere, ut vocatus per noctem adolescens, quasi magni aliquid urgensque instaret, per fautores Regine laqueo repente injecto suspendio necatus est. Consciam fuisse Reginam tam atrocis facinoris, creditum est, & auxit infamiam alter subinde conjunx ab ea susceptus. Et is quidem fuit Ludovicus Dux Tarentinus: qui dum Ludovicus Rex Vngariæ fratris necem ultum it Aversæ anno CIOCCCXLVII. navigio Neapoli solvens, cum Iohanna in Provinciam, deinde Avenionem fugit, ubi a Clemente VI. dispensationem impetrat. Ptolomæus: Prædictus autem Ludovicus Rex (parum de eo dixit:) & Domina Iohanna, Regina Siciliae, cum præfatus Rex Vngariæ esset in Aversa, cum diversis navigiis recesserunt per mare, de Neapoli, & venerunt in Provinciam, & deinde Avenionem. ubi præfatus Dominus Clemens Papa VI. cum sua curia residebat: & ibi per ipsum Papam fuit facta dispensatio inter ipsum Regem, & Reginam. Ludovicus hic alter Iohannæ maritus obiit anno CIOCCCLXII. xxvi. Maji in ipso festo Ascensionis Domini, eodem Ptolomæo teste. Hinc Iohanna
Re.

Regina sequenti anno tertium nupsit Iacobo Majoricæ insulæ Regi. Ptolomæus: *Anno Domini MCCCLXIII. completo anno obitus prædicti Regis Ludovici supradicti, Domina Iohanna Regina contraxit matrimonium cum Domino Iacobo Rege Majoricarum, cum quo nupta manet ad præsens. Hæc & plura alia arguunt, Ptolomæum ipsius Iohannæ temporibus vixisse. Ab eo igitur ulteriora fata Iohannæ non expectes. Quare monendum, quod a Iacobi excessu eam duxerit Otto, Dux Brunsvvicensis, Henrici filius, Henrici (ut vulgo vocant *Mirabilis*) nepos, Alberti Magni, quem Otto Puer, primus Dux Brunsvvicensis genuerat, pronepos, quem libenter in Regem Siciliae per Urbanum Papam extulisset. Gobelinus *Cosmodromii etate VI. cap. LXXVI. Iohanna Regina Siciliae speravit, Ottonem Ducem, de domo Ducum Saxonie exortum, tunc maritum suum, Ierusalem & Sicilia regnorum, quorum ipsa gaudebat titulis, in Regem per Papam coronari: & idem Dux maritus ipsius Reginae quartus exstiterat, & ipsa jam annos sterilitatis attigerat. Nupsit autem Ottoni anno cio ccc lxxix. ut habet Pandulphus Colleutus in *Historia Neapolitana. De Iohannæ fato plura dicemus ad §. XXI.***

§. XX. Raimundus II. Bauscius, cum aliquando Iohannæ gratia excidisset, partem Arausionensis Principatus amisit, sed & a Iohanna in gratiam receptus, recuperavit.

Thuanus: *Hic quidem de vi publica, ubi quedam violenter perpetrata, Cortesone, quod est Principatus municipium, a Fulcone Dagutio, magno Provincia Senescallo postulatus fuit: bonaque ejus annotata, nec, priusquam gratia delictorum a Iohanna impetrata, eorum plenam possessionem recuperavit.*

§. XXI. Iohanna Neapolitana cum nullos liberos relinqueret, Ludovicum I. Andegavensem & Iohannis Gallia Regis filium adoptat, & post eum Ludovicum II. ejus filium, cui Ludovicum III. Calabriae Ducem substituit: a quibus omnibus Bauscii Principes Arausionenses in fidem accepti sunt.

Ita

Ita fere Thuanus. Is tamen scribit Iohannam nullos habuisse liberos. Quod cum grano salis accipiendum. Nam ex primo matrimonio habuit posthumum *Carolus*. Ex altero suscepit Catharinam, *quæ*, ut ait Ptolomæus, *infantula est defuncta*. It. *Franciscam*, quæ anno ccccclii. fati concessit. Chronicon quidem Saxonicum ex quarto conjugio ei tribuit *Helenam*, Iohanni ex familia Lusignana Cyprio Regi nuptam. Verum alii eam ignorant; nec vero consentaneum videtur, a matre præteritam. Nos primo de testamento, post de fato Iohannæ dicemus. Hæc primum Urbani Pontificis favores captans, cum oleum ac operam se perdere intelligeret, ingrato homini irascens, quantumvis invito & multum disfavente Ottone marito, partibus Clementis VII. Antipapæ se conjunxit. Quapropter & censura Ecclesiastica notata, & regnis ab Urbano per decretum privata est. Istam injuriam ut ulcisceretur, quemque Pontifex Siculis Regem dare constituerat, *Carolus Dyrrachii Principem* excluderet, cum Clemente VII. in Gallias profecta, ibique honorifice excepta, *Alphonso Arragoniæ Rege*, quem prius adoptaverat, repudiato, *Ludovicum*, Iohannis Andegavensium Ducis filium hæredem dixit, & ceu ex Thuano clarum, huic *Ludovicum II. filium*, eique *Ludovicum III. Calabriae Ducem* substituit, ut nempe ab obitu suo in Sicilia & Neapoli regnarent. Quo facto rediit in Italiam. Capto autem per insidias marito, ipsa ex spes plane, *Caroli Dyrrachini colloquium* petiit: quo impetrato, sic eum affata fertur: *Hactenus te filii loco habui; nunc vero, quoniam ita visum est Deo, ut te Dominum agnoscam, me tibi, atque maritum meum commendo*. Cui ille: *Et ego te ut matrem semper hactenus amavi, & deinceps eodem amore prosequar, & tui ipsius honoris atque Ottonis mariti rationem habebō*. Sed nihil horum, quæ prolixè pollicitus, præstitit *Carolus*. Regina abducta est in carcerem, neque post visa. *Theodericus a Niem a* quatuor satellitibus Ungaris strangulatam, scribit: & quidem in loco sacro, cum precibus vacaret. *Bergomensis* addit, jussu Urbani Papæ id factum. *Gobelinus* refert, fuisse, qui affirmavit, inedia voluntaria periisse.

riisse. Felinus Sandeus *de Regibus Sicilia & Apuliae cap. XX.*
 pulvillo ori injecto ad mortem compulsam, scribit. Atque
 hæc pleraque, ne quid dissimulem, Henrico Meibomio Se-
 niori, Viro Clarissimo, debeo, qui in *Notis ad Auream Bullam*
Andronici Imp. admodum diligens est in hujus Iohannæ, ac
 Ottonis, mariti ejus ultimi, historia. Quod ad fatum Iohan-
 næ violentum, aliquoties id tangit Antoninus. Nam pri-
 mo scribit *parte II. tit. XXI. cap. VIII. §. IV.* Demum *regnum*
ipsum remansit Reginae Iohannæ, in quo diu regnavit. Nec tamen
evasit impunita. Nam ut infra patebit, cum operam dederit schis-
mati Ecclesie, ab ea ablato regno, & collato ejus consanguineo Carolo
III. ab eo necata est. Et tit. XXII. cap. II. §. I. Indignatusq;
 Urbanus contra Reginam Iohannam, quod locum præstiterat ad fa-
 ciendum schisma, & Clementi obedientiam exhibuerat, & aliis causis
 superinductis criminibus eam regno Apulie privavit. Et Carolum
 Francorum prosapia Regum genitum ex Vngaria assumptum ad ur-
 bem accedentem in Regem Apulie inunxit. Qui adjutus a Ludo-
 vico Rege Vngarie, Germano Andreae conjugis olim ipsius Iohannæ,
 quem illa necari fecerat, in pecuniis & bellatoribus intravit Apu-
 liam, regnum obtinens sine multa resistantia. Ipsamque Reginam Iohannam
 captam in ultionem ejus, quod ipsa marito egerat, strangulare
 mandavit. Gobelinus *etate VI. cap. LXXVII.* hanc Iohannam
 vocat *Sicilie Reginam, Provincie & Pedemontis Comitissam.*
 Id monendum est, quod maritus ejus Otto anno
 cccccxxxvii. mortuus, & Foggia sepultus, in Ducatu,
 quem retinuit, Tarentino, successorem habuerit Raimundum
 Baucianum, quem Gobelinus & Collenutius *Baltzianum* vo-
 cant. An autem is idem sit cum Raimundo II. Bauscio, Prin-
 cipe Arausionensi, nondum ausim affirmare: quamvis tem-
 pora inter se convenient.

§. XXII. Exstincta familia Bausciana mascula, suc-
 cedit CABILONICA. Nam Raimundus II. Bauscus sine
 masculis decedens, MARIAM filiam reliquit: quæ IO-
 HANNI CABILONO nupsit anno ccccccx. eoq; Arau-
 sionensis Principatus a Bauscis ad Cabilonos transit.

Re-

Renatus Choppinus de *Domanio Francia* vocat *Mariam Balsiam*, ex *Baltiorum* gente prognatam, aitque Ianum *Cabilonensem* a *Burgundia Comitibus* ortum traxisse : Pontus Heuterus, *Mariam Baussiam*, *Reinoldi Baussii*, *Aurantii Principis*, ac *Comitis Genevæ filiam*. De hac familia *Cabilonensi* ita *Ludovicus Pellatanus* in *Oratione funebri pro Philiberto a Chalon* : Est *Chalonia familia* inter illustres *Galliarum* prosapias dignissima & fulgentissima, quæ, quot *Proceres*, quot *Duces*, quot *Principes* ediderit, satis omnibus patet, qui eorum res gestas toto orbe notissimas pertractare & legere voluerint. *Stemma Cabilonicum* exhibet *Pontus Heuterus* in *Genealogiis præcipuarum aliquot e Gallia Francica ac Belgica, familiarum*. Ex his *Iohannes Comes Cabilonensis* civitatem *Bisontinam* in clientelam suam recepit anno *ciöccxxiv*. Videatur *Iohannis Iacobi Chifletii Vesontio parte I. cap. LIII*. Anno *ciöccxciii*. *Hugo & Iohannes de Cabilone* graviter inter se dissentiunt, pro iuribus in civitate *Bisontina*. Idem *cap. LX*. Anno *ciöccxcvi*. *Hugo de Cabilone*, *Iohannis filius*, renunciatus est *Episcopus Leodiensis*, & sexennio post, *Archiepiscopus Bisontinensis*. Idem *parte II. cap. LXVIII*. Anno *ciöcccvii*. bellum inter *Iohannem de Cabilone*, *Galtherum de Monte Belicarde*, ac *Civitatem Bisontinam* coortum, sed brevi compositum. Idem *parte I. cap. LXI*. Anno *ciöcccxxxv*. *Iohannes Cabilonensis*, & *Henricus Comes Montis Belicardi* cum civibus *Bisontinis* *Odoni Burgundiæ Duci* bellum inferunt. Idem *parte I. cap. LXII*. Anno *ciöccclxxii*. *Hugo de Cabilone* cum suis nepotibus *Bisontinæ* urbis defensor efficitur. Idem *cap. LXIII*.

§. XXIII. *Ludovicus Cabilonus*, *Iohannis filius*, a *Renato Siciliae Rege* in fidem acceptus est, eiq; quindecim millia librarum commodavit anno *ciöccccxxxvi*. dum 1436 captivus *Divione* a *Philippo Burgundo* detinetur : pro qua summa *Renatus Ludovico* jus supremi Imperii in *Principatu Arausionensi* obligavit.

Thuanus : Ex eo matrimonio (*Iohannis Cabilonensis & Mariæ Bauscæ*) genitus *Ludovicus Cabilonus* ; qui a *Renato Si-*

*Sicilia Rege in fidem acceptus est, eique xv c15 librarum commoda-
 vit anno c1000000xxxvi. dum captivus Divione a Philippo Bur-
 gundione detineretur. Vicissim Renatus, ut ei de hujus summae
 restitutione caveret, jus supremi Imperii, quod ipse in Principatu
 habebat, obligavit; cumque carcere liberatus, es illud dissolvere
 paratum se ostenderet, Cabiloni tergiversatione effectum est, ut ne-
 gotium exitu caruerit. Renatus ille, cognomine Bonus
 Rex Neapolis & Siciliae, Dux Andegavensis, Comes Provin-
 ciae, filius fuit Ludovici III. Regis Neapolitani, ex Iolanta, fi-
 lia Iohannis I. Arragoniae Regis. Hic ducta anno c1000000xx.
 Isabella, haerede Caroli I. Lotharingiae Ducis, haereditatem
 aditurus, Antonium Vallemontium, fratrem Caroli Ducis
 hostem sensit, feudum masculinum Lotharingiam esse cau-
 satum. Lite Sigismundo Imperatori & Concilio Basileensi
 commissa, sententia pro Renato ferebatur: sed Antonius,
 ope Philippi Boni Burgundiae Ducis, jus suum tuitus, Rena-
 tum vicit, cepitque: ac tum Philippo traditus, Divione in
 carcere per quinquennium tamdiu detentus est, donec so-
 luto lytro liberaretur. De praelio Renati infauisto, & capti-
 vitate Pius II. Papa, antea dictus Aeneas Sylvius, *Commenta-
 riorum sui temporis lib. IX.* Memoratu dignum & illud est pra-
 lium, quod Vademontensis Comes, auxilio Philippi & auspiciis, ges-
 sit adversus Rhenatum Siciliae Regem. — Lotharingiae nostra
 etate Rhenatus praefuit Dux gentis ab Imperio constitutus: intra
 fines Lotharingiae Comitatus Vademontensis clauditur. Hunc Rhe-
 natus octo & decem millium equitum, peditum viginti millium
 congregato exercitu vastare adortur. Comes in aula Philippi nu-
 tritius, opem ab eo petit. Deliguntur ex Burgundis quatuor millia
 equitum, ex Piccardis mille & quingenti sagittarii, qui Comitem se-
 quantur, excursions hostium prohibitori, donec majores mittan-
 tur copia; Antonii duo, alter Vergejus, alter Tolosanus, periti du-
 ces adduntur. Rhenatus praecipuum Comitatus oppidum obsidebat
 spe plenus, septem & decem Principum Germanorum adjutus suppe-
 tiis. Qui, ut per exploratores accepit, adventare Burgundos, co-
 gnita hostium paucitate, intermissa obsidione ordinato agmine ob-
 viam pergit in campis patentibus pugnaturus. Barbafas eo die
 pri-*

primam sorte ducebat asiem, rei militaris peritissimus. Qui ubi
 conspicatus est Burgundorum vexilla retro hastas, quasi nullum sen-
 tirent flatum directa ferri, contra Rhenati modo ad sinistram versa
 crispari, & cum vento luctari: Heu quam funesta nobis, in-
 quit, pugnaturis instat dies! Rhenatus, si sapiat, prælio ab-
 stinebit. Nec moratus Regem adiens, pugnam dissuadet: quia
 etsi pauci essent hostes, ex signis tamen, quæ viderat, vinci non pos-
 sent. Cui Rhenatus: Ergo paucis multi cedemus, & in me-
 dia Lotharingia, quæ nobis patria est, Burgundi trophæum
 statuent? Non patiar. Laudavere ceteri Regis animum, atque
 ulro prælium petivere, præcipue Comerzejus Theutonici ductor
 auxilii. Mittitur tubicen, qui pugnam denuntiet hostibus. Cui
 Vergejus: Venimus, inquit, neque assueti fugere, neque soliti
 arma ponere, nisi cruore aspersa. Hæc Burgundi responsa re-
 mittunt. Erat locus, in quo Burgundi confederant, dumis ac vir-
 gultis a dextris circumseptus ac defensus: in sinistra parte fossam
 natura produxerat, quatuor pedibus altam: hic aenea locavere tor-
 menta equestrem impetum retentura: a tergo carros, quos addu-
 xerant, multos locavere. Exin dimissis equis, pedestrem phalangem
 gravioris armaturæ militum in fronte explicaverunt: Cornua ex
 medio exercitu mixtis sagittariis produxerunt, palis in terris co-
 ram se defixis, qui hostis equitatum prohiberent. Rhenatus pedi-
 tatu haud procul dimisso, cum duabus turmis equitum hostem a
 fronte petiturus, Comerzejum, qui vel a tergo, vel a latere Burgun-
 dos laceffat, cum reliquo comitatu ire jubet. Ipse prior pugnam iniiit.
 Comerzejus transilire fossam conatus, tormentis repulsus ad carros
 se confert, ibique certamen atrox committitur. Burgundi & re-
 tro & ante invasi, haud segniter se tuentur: succubuissent tamen, ur-
 gente Rhenato, nisi clamor exortus Theutonicos equites effugere nun-
 tiasset. Comerzejus enim spiculis ac tormentis a carris ejectus, tam
 foede fugere cœpit, quam paulo ante magnifice capeffendum præ-
 lium soaserat. Hac audita voce, Burgundi erectis animis alacres
 instauravere certamen, hostibus manus ac brachia ceciderunt, sola
 in pedibus spes relicta salutis. Victor Burgundus ingenti præda
 ditatus est. Rhenatus captus, & nonnulli Principes cum eo. Mira-
 res, & apud posteros caritura fide, Quinque hominum millia, octo &

*triginta millia fuderunt. Tantum in bello Dei potestas conspicitur. Signa militaria octo & centum intercepta : ex hostibus tria millia caesa : viri nobiles mille , & ducenti capti. Ex Burgundis septingenti periere. Nihil tam in bello nocet, quam hostem contemnere. Magnæ profecto Pio II. debentur gratiæ, qui hanc fortunam Renati tam sollicite descripsit. Antoninus Florentinus et si his ipsis quoque floruit temporibus , non satis tamen de hoc prælio edoctus est, quando Renatum in bello inter Regem Franciæ & Ducem Burgundiæ conferto, captum tradit tit. XXII. cap. VIII. §. VII. Rectiora habet Iacobus Meyerus Baliolanus , cujus narrationem una cum alius, quem laudat, scriptoris verbis, quæ repetantur ex *Annalium Flandriæ lib. XVI.* dignissima judico. Mense Augusto sub ferias Divi Bartholomæi Apostoli, Antonius Comes Vallis Montium egregiam refert victoriam de Renato Duce Barenfi, filio Ludovici Andegavensis, competitoris regni Siciliæ. Discordia erat de Ducatu Lotharingiæ. Moriens Carolus Dux Lotharingiæ , nullum filium , sed filiam unicam reliquit Isabellam , quam Renatus tenebat matrimonio. Antonius frater Caroli defuncti Ducatum dicebat esse suum. Contra tendebat Renatus jure uxorio. Synodus Basiliensis secundum Renatum tulit sententiam. Obsidet is oppidum gentis Vallis Montane. Auxilia accipit Antonius a Philippo , sagittarios imprimis Atrebatenses , & Antonium Tholongium , præfectum Burgundiæ , strenuum virum. Prælio fortiter conferto, vincit Vallemontius. Oppidum, quod egregie per menses tres se defenderat, obsidione liberatur. Captus Renatus, missusque in signum gratitudinis Burgundioni, & servatus Divioni longo tempore. Dediderat enim se in acie Martino Fovardo, clienti Petri Luceburgensis. Captus Conradus Beyer Episcopus Mediomatricorum , asinus inter simias, cum aliis circiter ducentis, inter quos nobiles complures. Occubuit magnus ille pugnator veteranus miles Barbasanus, & tres Comites, quos quidam nominat Salinensem, Salernitanum, & Ly-machum, cum Iohanne Haricuria, Henrico Borerio, & Theodorico ejus Germano, duobusque fratribus Episcopi Metensis, & aliis, ad tria circiter millia, teste Engerrano. Ex factione victrice desiderati circiter XL. quorum splendidissimus Girardus Marinus. Hic sum-*

sum-

summam tulere laudem Atrebatum Ambianique sagittariis, eorumque singulari virtute stetit victoria. Sed audiatur scriptor illius temporis. Per idem, inquit, tempus Renatus Rex Sicilia, idem Dux Andegavensis & Comes Barenfis graviter contendebat cum Comite a Vallemontium de Ducatu Lotharingie. Uterque eum sibi vendicabat. Rex ad bellum processit. Philippus Dux Burgundie Comiti dicto a Vallemontium quatuor millia armatorum auxilio misit. Renatus Rex habebat adeo magnum exercitum, ut paucitas Comitum illi omnino esset contemptui. Vicit tamen Comes. Interfecti ad octo milia hominum ex Lotharingis, Alemannis, & Francis. Barbarianus veteranus miles eorum Dux occisus. Captus ipse Rex Renatus, & cum eo Episcopus Metensis. Habebat enim Renatus (ut fama erat) amplius XX. milia hominum, multosque in iis nobiles ex finibus Rheni Germanos & Lotharingos. Metensis Episcopus adduxerat Regi auxilia & nobiles multos, ex quibus multi capti cum ipso Episcopo. Ea captivitas Renati causa erat, ut regnum suum avitum & paternum Siciliae seu Neapolitanum ad hostem suum Alphonsum Regem Arragonum deveniret, eoque haecenus privatus exutusque manet. Hec ille. Modum liberationis Thuano debemus. Unde falluntur, qui Genuenses pecuniam suffecisse memorant: nisi dixeris, Ludovicum Cabilonum eandem mutuo sumpsisse a Genuensibus. Quomodo res inter Renatum & Antonium Vallemontium composita, docet Meyerus. Inter Renatum Barensem, inquit, & Antonium Comitem Vallemontanum Philippus pacem componit: accipitque filius Antonii natu maximus majorem filiam Renati sibi uxorem Iolantillam nomine. Liberos enim habuit Renatus ex Isabella Lotharingia Iohannem, Ludovicum, Iolantillam, & Margaritam. Ex his Iohannes natu maximus Dux factus est Calabriae, sed solo fere nomine, quemadmodum pater Rex Siciliae. Nam Sicilia & Neapolis pervenerunt ad justos heredes Friderici Augusti, nempe Aragonas in Hispania, quibus Renati aliorumque Gallorum arma neququam erant paria. Pontus Heuterus Ludovici conjugem facit Iolam, filiam Comitum Mombeliardi.

1471 §. XXIV. Ludovico Wilhelmus Cabilonus successit. Qui cum summo imperio in Arausionensium injuriam abuteretur, eo quadamtenus excidit anno CI CCCCLXXI. regnante Ludovico XI.

Id credimus Thuano scribenti : *Ludovico Gulielmus Cabilonus successit : qui cum summo imperio licentiose atque adeo injuriose contra Arausionenses abuteretur, tandem vicinorum interventu inter partes transactum est, cautumque ; ut Arausionensibus a Principis magistratibus appellare jus esset. Id actum anno CI CCCCLXXI. mense Januario.*

1475 §. XXV. Idem Ludovicus Rex cum Wilhelmo Cabilono anno CI CCCCLXXV. transegit, ut salvo titulo, ac juribus Arausionensis Principatus ceteris, provocatio a subditis ejus ad Senatum Gratianopolitanum permitteretur.

Thuanus : *Quo tempore rerum in Francia potiebatur Ludovicus XI. qui Renato & Carolo Andinis in Provincia Comitatu successit, & cum Gulielmo Cabilono transegit, his conditionibus, ut Gulielmus, acceptis a Rege XLCIO. aureorum, fidem in posterum Regi & Delphino Viennensi tanquam beneficiarius obligaret, & ejus subditis ad Gratianopolitanum Senatum appellare jus esset : cetero qui ipse titulos supremi Principis, seque Gratia Dei Principem Arausionensem indigitare, monetam percutere, gratiam delictorum impertiri, aliaque ejusmodi, que summi imperii sunt, facere posset. Hisque conditionibus in fidem acceptus est VII. Kal. Junii anno CI CCCCLXXV. Bodinus tamen de Republica lib. I. scribit, Principem Aurasium Ludovico XI. Regi jura majestatis Aurasii Principatus vendere recusasse : quanquam regii procuratores jura majestatis Aurasio Principe vindicant sepe obstiterunt. Credo, summam rei non constitisse Bodino. Non negaverim tamen, difficulter ad illam conditionem descendisse Wilhelmum. At miror, hæc facta vivo adhuc Renato, & Carolo Comite Meduano, fratris Renati filio. Nam Renatus anno CI CCCCLXXX. Carolus biennio post obiit. Forte igitur, ex quo Renatus Ludovicum testamento hæredem Provinciæ instituit,*

stituit, hic jura sibi arrogavit in Principatum Arausionensem. De testamento Renati, Meyerus *Annalium Flandriae lib. VII.* Renatus senex avunculus Galli qui tradere illi Comitatum Provinciae testamento cogitabat, ad Gallum tamen si maximum sibi haecenus hostem se transfert, & pacem cum eo facit. Verum haec non ad Ludovicum, sed ad Carolum Audacem pertinent, quem Renatus testamento haeredem scribere voluit. Sic enim Philippus Cominæus lib. VII. Venit ille (Renatus) tandem Lugdunum, & a Rege fuit exceptus honorificentissime. Aderam, cum primo congrederentur. Ibi tum quidam ex Renati familiaribus, Ioannes Cossius Neapolitanus, vir honestus, & nobili genere natus, Provinciae praefectus, ad Regem: (Ludovicum XI.) Mirum, inquit, videri tibi non debet, Renatum avunculum tuum cogitasse aliquando, Carolum instituere haeredem: nos ipsius necessarii hujus consilii fuimus auctores. Tu enim, qui nepos es e sorore, minus amice & liberaliter cum illo egisti: Barrensem arcem & Andegavensem, quae sunt ipsius, occupasti: nec ullam amoris aut benevolentiae significationem haecenus dedisti. Suasimus igitur illi, mentionem aliquam futurae donationis injicere, ut ejus rei fama ad te perlata, leniorem te nobis & placatiorem redderet. Hanc orationem Rex prudenter & benigne excepit. Verum enim ille dixerat, & totius rei tractatio pendebat ab ipso. Paucis deinde post diebus facta fuit compositio: & Renatus, Carolo deserto, Regi totum se dabat. Aut igitur, quod Thuanus ad annum MCCCCLXXV. retulit, paulo serius, aut eo ipso tempore, quo Renatus cum Ludovico XI. convenit, factum. Sed quid tum fiet de Carolo, Renati primo haerede? Nam hunc demum Ludovicum Provinciae scripsisse haeredem, Cominæus affirmat lib. I. de Bello Neapolitano. Iuvat ipsum audire. Cum annorum Rex (Carolus VIII.) esset circiter quindecim, venit in Galliam Lotharingiae Dux, & Barrensem agrum, quem Ludovicus XI. possederat, item Provinciam Comitatum, quem Carolus Andegavorum Dux, cum absque liberis moreretur, testamento reliquerat Ludovico, restitui sibi postulabat. Nam quod Renati Siciliae Regis, Andiumque Ducis & Provinciae Comitatus e filia nepos esset, idcirco debere se praeferrere Ludovico Regi, qui esset nepos e sorore, & Provinciam ad se pertinere, in-

juriamque sibi factam ab avo dicebat. Luce itaque indiget locus ille Thuani, quem nobis nondum ei licet affundere. Et vero Sleidanus quoque Ludovicum XI. demum a Carolo heredem scriptum affirmat. Sic enim habet in prefatione ad Comineum a se versum: Renatus Sicilia Rex, Andegavorum Dux, Provinciae Comes, frater fuit Ludovici: quem Ioanna Regina Neapolis adoptaverat, ut supra diximus. Is filium habuit unicum, Ioannem Calabriae Ducem. Huic supervixit ipse, ideoque heredem instituit Caroli fratris sui filium, Carolum, qui sine liberis decedens, Ludovicum XI. testamento fecit heredem.

1499 §. XXVI. Anno cccccxcix. Ludovicus XII. Iohanni Cabilono, Wilhelmi filio, impense favens, supremum jus in Arausionensem Principatum remisit: qui & eo strenue usus est; supremo Dicasterio (Parlamento) Arausione instituto.

Thuanus: Ab eo tempore de Arausionensium appellationibus Delphinatus curia cognovit usque ad annum cccccic. quo Ludovicus XII. qui impense Iohanni Cabilono Gulielmi filio favebat, officiorum memor, & egregie ab eo navatae operae in praelio ad Albini fanum in Armorica, ubi ambo capti fuerant, supremum jus illud benemerito amico remisit, non tamen sine contradictione. Nam Cognitor regius intercessit, & ad Delphinum, & Delphinatus Gubernatorem appellavit, protestatione facta, & monumentis publicis eodem anno IV. Eid. Septembris consignata. Verum sprete Cognitoris regii protestatione, Ioannes ex eo supremum jus in eo Principatu usurpavit, & Curiam Parlamenti, Praesidemque, & quatuor Consiliarios instituit, qui jus cum suprema potestate dicerent. Idque usque ad Ludovici XII. excessum tenuit. Praelium illud ad Albini fanum anno cccccclxxxiii. V. Kl. Augusti commissum De quo ita Polydorus Vergilius Urbinas Historiae Anglicae lib. XXVI. Dum ista Anglus agit, a Britannis commisso praelio ad Fanum Albani, qui locus illorum est, male pugnatur adversus Francos: ibi Ludovicus Dux Aurelianensium inter alios capitur, qui postea in arce Biturigensi diu fuit, & ad extremum poenas capite solvisset, nisi fuisset Ioanna eius uxor, altera Caroli Regis soror,

soror, quæ eam injuriam viro condonari a fratre impetravit. Iohannem Cabilonensem his laudibus maectat Ludovicus Pelletanus: Philibertus patrem habuit Ioannem, felicissimum & invictissimum Ducem, qui in Britannia tot bella & dignissima facinora in re militari feliciter transegit, ut non solum militum suorum, sed omnium Gallorum iudicio, ceteris facile præstaret. Adeo omnes una natura dotes animi & corporis præclarissimas in ipsum congeserat.

§. XXVII. At Franciscus I. gratiam Patri ab antecessore factam revocavit, ac Philibertum Cabilonum, Iohannis filium in clientelam suam redegit. Cumque is relicto Francisco, Caroli V. partibus adhereret, gratiæ Regis & Principatui Arausionensi per Madritanam pacem restitutus est.

Thuanus: Eo (Ludovico XII.) defuncto, cum Franciscus gratiam a decessore suo factam revocasset, Philibertus Ioannis filius in fidem ab eo acceptus est; rursusq; Gratianopolitanus Senatus de Arausionensium iudicum appellationibus cognovit. — Ii (Philibertus & Renatus Nassovii) quod relicta Gallia Austriacis operam suam addixerant, eorum gratia contra beneficii collati auctores usi sunt, & post Ticinensem cladem Madritiana pace cautum fuit, ut, nulla habita juris, quod Regibus competebat, ratione, Arausiensis Principatus cum summo imperio ipsis restitueretur.

§. XXVIII. Ventum ad exitum familiæ Cabiloniæ. Nam Philibertus Heros fortissimus, Caroli V. signa secutus, in obsidione Florentiæ cæsus est anno MDIOXXX. 1530

Meretur integrum adscribi elogium Philiberti, auctore Gilberto Cognato: Philibertus a Chalon Aurengiæ Princeps, sanguine regius, corporis dotibus admirandus, laboris ultra fidem patiens, simulates oblata occasione libenter deponens, integritate, solertia, optimisque consiliis ornatissimus, Gallorum impetum aliquantisper, non tamen penitus exuerat: quare an cautior, audaciorve fuerit, vertitur in dubium. Hic juxta Pyreneum, arcem inexpugnabilem (fons Rabiæ, vel Iberiæ nunc appellatur) Gallis

repugnantibus, peditum praefectus expugnavit. Paulo interjecto tempore, quum navicula trajiceret, a Gallis fuit captus: in ditionemq; inde reductus pedes, cum tribus alumnis, ne a Venetis qui hostes erant, caperetur, e Germania, mutato habitu, in Italiam venit. Equitum levis armatura Magister, interfecto Caesarei exercitus Duce, Romanos vicit. Neapolim ab exercitu maximarum gentium viribus accincto, classica terrestriqve obsidione ad foedarum carnium esum pressus, supremus Dux, regniq; prorex, hostes obsedit, eosque ad turpes deditiones coegit. Aquilanos, Matricarios, qui contra Caesarem arma tulerant, in potestatem redegit. Hispellum praeterea, Perusiam, Cortonem, Aretium, Nepotianum, Lastram, Impolim, quae cum tota Hetruria a Clemente VII. Pont. Max. defecerant, perdomuit. Reliquae civitates, Volaterra Pisisque exceptis, terrore ad jugum fuere compulsa. Quumque jam Florentini obsessi ultima experiri inciperent, adversus eos qui opem afferre proposuerant, primus bellum acerrime ciens, agens annuum XXX. victor, duobus vulneribus saucius, repente apud Cavinianum oppidum cadit. Talem vero mortem, tam celerem, lentae praefendam semper judicavit. Cadit, inquam, summo tum Caesaris, tum Pontificis mœrore. Alumni desolatissimi, temporarium tumulum uberrimis lachrymis, publico luctu constituebant, III. Augusti M. D. XXX. Latius hæc persequitur jam aliquoties nobis laudatus Ludovicus Pellatanus in Oratione funebri, in qua & hæc sunt de magni Principis interitu: Ipsam Florentiam Hetruriae caput, ad quaeque indignissima patienda pro victis ultimamque subire desperationem coegit. Demum, quum per exploratores fieret certior, ex urbe Pifarum, quatuor millia peditum, quingentosq; equites adventare Florentinorum praesidio, obviam eis factus, cum parte exercitus, acerrime dimicando, omnibus primo debellatis, trigintaque supra quinque insignibus ab hoste ereptis (proh dolor!) ictu uno archibussii per latera transfoditur, pulchramque capit per vulnera mortem. Itaque illustrissimus Princeps in ipso ætatis flore, quum nondum annum XXVIII. attigisset, una morte omne gloriosum facinus, uno facinore unam gloriosam mortem pariter fuit complexus: maxima spe sui, & posteris amicis, ac ipsi Caesari relicta. Vir quidem non modo bellicis artibus, ve-

rum etiam eloquentia ad movendos omnium animos adeo potens
 lens potensque, ut magno imperio Caesaris accessionem fecerit. De
 ejusdem Principis Philiberti gestis habemus brevem, sed
 insignem *Commentariolum* Dominici Melgvitii Medici, Re-
 nato a Chalon, hæredi ac successori ejus inscriptum, ex quo
 pauca de ultimis Philiberti repetam. Florentinorum jam vi-
 res infringi videbantur, quas Volaterrani & Pisani ut reficerent, Ca-
 vinianum prope Pistorium oppidum instructa acie veniunt. Quo
 Philibertus, cum majori parte militum, Ferdinando (Gonzaga,
 qui & ipsi in ducatu militari successit:) pro Imperatore relicto,
 obviam progreditur. Primusque omnium bellum acerrime ciens,
 mortifero vulnere ictus cadit. Quo casu miles noster minime ani-
 mum viresque amittit: sed hostes post magnam cadem persequens,
 in fugam convertit, montesque effuso cursu petere eogit. Gloriosa
 victoria, uno tamen claro funere tristis. Epitaphium sequens
 ei positum:

QVI. HAC. PERTRANSIS. SISTE. PAVLISPER. GRA-
 DVM. POSTEA. LEGE. SIMVLAC. DISCE. IN. QVO
 RESIDEAT. HVMANA. FELICITAS. ET. GLORIA.

QVVM. ME. CAROLVS. V. ROMANORVM. IM-
 PERATOR. MAXIMVS. EXTREMA. BENEVOLEN-
 TIA. AMPLEXARETVR. ET. DVM. GLORIA. RE-
 RV. AMPLISSIMARVM. IN. IPSO. FLORE. IUVEN-
 TAE. GESTARVM. CLARISSIMI. DVCE. QVI. AN-
 TE. FVERE. LONGISSIMO. INTERVALLO. ME
 SEQVERENTVR. QVVMQVE. PACATA. ITALIA
 ORIENTIS. REGNA. INVADERE. PERTINACI
 ANIMO. STATVISSEM. HEV. IN. IPSO. APPARATV
 INTERII. MORTEM. TAMEN. GLORIOSAM. OP-
 PETII. VTPOTE. QVI. PVGNANDO. AC. DECE-
 DENDO. MEIS. VICTORIAM. CAESARI. IPSI. ET
 VNIVERSO. ORBI. MAGNV. MEI. DESIDERIVM
 RELIQUERIM. HOC. TE. VOLEBAM. SCIRE. ET
 CONDOLERE. VALE.

§. XXIX. Exstincta Cabilonica, Arausionensi Principatu aucta fuit Familia NASSOVICA. Nam Philibertus RENATVM NASSOVIVM, Claudiae sororis, Henrico Nassovio nuptae, filium, haeredem instituit, inque Cabiloni nomen adoptavit.

Ita fere Thuanus. Pontus Heuterus: *Philibertus Chalonnus Aurantii Princeps periit in obsidione urbis Florentiae, relicta sorore Claudia, omnium fortunarum haerede, quae Henrico Nassavio jam antea nupserat, peperitque ei filiam; sed quae paucis vixit diebus, ac filium Reinerum Nassavium, Aurantii Principem, haeredem avunculi Philiberti.* Famianus Strada de bello Belgico Decade I. lib. II. *Henricus patruus (Wilhelmi) ex Claudia Chalonia, Philiberti Chaloniae Principis Orangii sorore Renatum filium suscepit. Renatus, exstincto Philiberto avunculo, qui postremus Chaloniae gentis fuit, ea lege in Principatum succedit, uti pro Nassavio Chalonnus cognominaretur.*

1544 §. XXX. Renato in obsidione S. Desiderii anno MDXLIV. exstincto, Arausionensis Principatus ad WILHELMVM I. Nassovium, Renati patruelem, ope Caroli V. pervenit.

Heuterus: *Reinerus (Renatus) Annam duxit Lotharingicam, e qua procreavit filiam, quae paucos vixit dies. Reinerus vero obsidens Fanum Desiderii e muris tormenti ictus, post paucos dies sine liberis obiit. Imperator vero Carolus V. approbato Reineri testamento, Gulielmum Nassavium, dicti Reineri patruelem in ejus bona admisit. Forte igitur Heuteri memoria Conringio excidit lib. II. de Finibus Imperii Germanici cap. XXV. scribenti: Nisi memoria me fallit, legi, auctoritate Caesarea a Carolo V. ratihabitu Renati Nassavii testamentum, et Gulielmum in possessionem missum esse. Strada d. I. Sed hoc quoque (Renato) sine liberis decedente, Arausionensis Principatus, ac reliquorum bonorum hereditas, quae apud Sequanos amplissimam Renatus habuerat, ad Gulielmum patruelem — adnitente Carolo V. Imp. pervenit. Nicolaus Ritterhusius in Exegesi Historica Genealogiarum praecipuarum:*
Wil-

Wilhelmus Nassovius cum de jure communi in Principatu Au-
riaco ab intestato succedere debuisset, mediante Maria Belgii Gu-
bernatrice, coram qua Renati testamentum apertum & publicatum
est, post etiam interveniente Caroli V. Imp. 1545. controversia inter pa-
trem & filium composita est, ut Wilhelmus pater filio natu maximo
Wilhelmo juniore Principatum Aurasicum — concesserit, & sic
hic Wilhelmus junior Princeps Aurasicus factus sit.

§. XXXI. Bellis inter Carolum V. & Henricum II.
Francisci I. filium & successorem, manus in supremum
dominium Arausionense injecta; sed per pacem anno
CICICLIX. ad Cameracense castellum initam, Arausionensis 1559
Principatus Wilhelmo Nassovio juxta Madritana pacta re-
stitutus est.

Thuanus: Quamquam bellis postea inter Carolum V. & Hen-
ricum II. subortis, regii magistratus manum in Principatum inje-
cissent, & Gratianopolitanus Senatus per id tempus de appellationi-
bus cognovisset, tandem pacificatione ultima anno CICICLIX. rur-
sus supremum Arausionensis Principatus Imperium Nassovius juxta
Madritana pacta restitutum est, & Gulielmus, Gulielmi filius, Rena-
ti frater patruelis Praefectum urbi imposuit, & magistratus denuo
instituit, qui cura provocationem cum summa potestate jus dice-
rent.

§. XXXI. Wilhelmo I. Nassovio Delphis anno
CICICLXXXIV. nefaria sicarii manu perempto, filius ejus 1584
MAVRITIVS, pro majori fratre PHILIPPO WILHELMO
in Hispania capto, Arausionensem Principatum admini-
stravit.

De cæde Wilhelmi, Everardus Reidanus *Annalium Belgico-
rum lib. III.* Illum quidem corruptus auro ab Rege sicarius, suis
in edibus, ut a mensa adsurrexerat, excussis e tubulo glandibus dua-
bus transjecit. Fuitque simul fere cum vulnere mors: tantum no-
vissima effatus verba, Miserere Deus afflicti populi, extinguitur. Hic
exitus Arausionensem habuit altero ætatis anno post quinquagesi-
mum. Iohannes Dickinsonus Anglus in *Speculo Tragico*, Lug-
duni

duni Batavorum anno cidiicii. tertium edito: Alenconii
 obitum sequuta est Gulielmi Nassovii, Principis Vranii cedes, cuius
 prudentia, autoritate, industria & fide unite provincie Belgice potissi-
 mum nitebantur. Ante aliquot menses Burgundus quidam, Bal-
 thasar Gerardus (sed aliud tum nomen mutuatus) in ipsius famu-
 litium se, singularem industriam, zelum, & ingenii dexte-
 ritatem prae se ferens, insinuarat; & ab ipso legatis ad Alenconium
 a Belgis in Dominum denuo electum, comes adjunctus erat. Mortuo
 autem Alenconio, Balthasarem hunc Principi Vranio notum, &
 aliquot menses in ejus aula versatum, Legati ad eum cum literis
 remittunt. Hic proditor Delphis humaniter a Principe acceptus,
 perbenigne auditus, & cum literis ab ipso reversurus, decima Julii
 die, absoluto prandio, circa primam pomeridianam accubitu sur-
 gentem insecutus, tormento manuario (cui tres inerant glandes)
 eoque pecunia a Principe data comparato, medium trajecit, ita ut
 statim moriens concideret. Thuanus lib. LXXIX. Gulielmus Nas-
 sovius, Arausionensis Princeps, Seelandiae & Hollandiae Praefectus,
 VI. Idus Julias a sicario Balthasare Gerardo, sclopeti ictu tribus
 glandibus vulneratus, Delfis eodem die obiit. Vulnere accepto,
 non aliam vocem misit, quam, orare Deum, ut animae suae & po-
 puli afflicti misereretur. Nam se graviter vulneratum esse.
 Cum vacillaret, in gradu proximo jam voce amissa a famulis col-
 locatur, & Catharina sorore, Schwartzenburgici Comitis uxore,
 quae aderat, instante, ut ipse animam Deo commendaret;
 ille annuit, & statim in conclave, ubi pransus fuerat, relatus, le-
 toque impositus, vitam finivit. Confer Emanuelem a Mete-
 ren Historiarum Belgicarum lib. XII. & Hugonem Grotium
 lib. IV. Annalium Belgicorum. De uxoribus ejus ac liberis ita
 Pontus Heuterus: Gulielmus Nassovius primum duxit Mariam
 (imo Annam) Egmondanam, Bura Comitem, Dominam Lerdams
 ac Iselstein, peperit PHILIPPVM, ac Mariam. Deinde An-
 nam, Mauricii Saxoniae Ducis ac Electoris filiam, quae peperit
 MAVRICIVM: ac tertio duxit Carolinam, Ducis Mompenserii
 filiam, ante sacris initiatam, quae hoc anno cidiiclxxxii. sex ei
 filias, filios vero nullos pepererat, obiitque mense Majo anno jam
 dicto. His adde quartam Aloisiam Coliniam, Casparis Co-
 linii

linii Castellionæi, maris in Gallia præfecti, & incluti Ducis, filiam, Caroli Telinii, in tumultu Parisiensi anno MDLXXII. cum socero interfecti viduam, HENRICI FRIDERICI matrem. Sed quia in uxoribus ac liberis Wilhelmi accuratior est Thuanus, ex eo genealogiam repetemus. Ipse Arausionensis quatuor uxores habuit, Annam, Maximiliani Emondani Comitis Burani heredem, ex qua PHILIPPVM, nunc Principem Arausionensem, suscepit, & Mariam, quæ postea Philippo Hoghenloo Comiti nupsit. Secunda illi uxor fuit Anna Saxonia, Mauritiæ Saxonis Septemviri filia, ex qua natus MAVRITIVS, qui post Patris mortem, Hollandiæ, Seelandiæ, Frisiæ, Vltrajecti, adhuc puer, Gubernator, ac summus maris Præfectus constitutus, dignitatem, Patris memoriæ tunc datam, postea virtute sua meruit, eiqve se parem tot rebus fortiter bello gestis præbuit. Nata & ex ea due filia, Anna, quæ Wilhelmo Nassovio, Iohannis filio, & Amelia, quæ nuper Emanueli, Antonii Lusitani, infaustis auspiciis regno illi inaugurati, naturali filio nupsit. Dein tertiam duxit Carlottam Borboniam, Mompenserii Ducis filiam, olim Iovariensis cœnobii Antistitam, ex qua sex insigni virtute filias suscepit; quarum Aloisia Iuliana Friderico IV. Palatino Septemviro; Elisabetha, Henrico Turrio, Bullionii Duci; Catharina, Philippo Ludovico, Comiti Hanovienfi; Carlotta Brabantina, Claudio Tremollio, Thoarsii Duci ac Franciæ Pari nupsit; Flandrina, Iovariensis cœnobii Antistita designata; Amelia. Postremam denique uxorem, quam dixi, Aloisiam, ex qua HENRICVM FRIDERICVM sustulit, Franciæ & Daniæ Regum, qui pro eo in sacro lavacro fidejusserant, fausta nomina ferentem. De captivitate primogeniti Thuanus: Philippus octennis puer (cespitatio est Thuani: nam tredecennus erat) Lovanii, ubi literis operam dabat, a Ferdinando Albano captus, & in Hispaniam tediOSO XXIX. circiter annorum carcere conflictatus fuit. Iohannes Meursius in Gulielmo Auriaco lib. IV. Interim in Auriaci filium, Philippum Buranum, impetum faciunt; misso Verga, qui Lovanio eum abduceret, ubi studiorum causa tunc agebat. Nec etatis innocentia, aut implorata a Rectore Academia privilegia, tredecenni profuerunt. Gemina fere legas in ejusdem Meursii Fer-

dinando Albano lib. I. Quod Mauritius absens per suos Arau-
sionensem Principatum administravit, etiam ex eo patet,
quod anno *CIDLXXXVII.* Arausionenses legatos ad eum
miserint, questuros de novis oneribus a Galliarum Regis in
Delphinatu praefecto impositis. Iis prohibendis datae a
Mauritio ad Regem literae, aliaeque ad cognatos & amicos,
quorum annisu a Rege impetraret, ne novis oneribus subditi
ejus premerentur. Vide *Reidanum lib. VI.*

1595 §. XXXII. Philippo Wilhelmo anno *CIDXCIV.* ca-
1599 ptivitate Hispanica soluto anno *CIDXCIX.* Arausionenses
1606 homagium dixerunt. Cumque anno *CIDXCVI.* Eleonoram
Borboniam duxisset, luculentam dotem, ac ab Henrico
IV. Galliae Rege amplissimam confirmationem jurium
Principatus Arausionensis accepit.

Everardus Reidanus lib. XII. Cum Alberto (Archiduce
Austriae) Philippus Arausionensis in Belgicam venit, ab anno
hujus seculi sexagesimo octavo in vinculis apud Hispanos detentus.
Eum Foederati Patres, per literas de recepta libertate gratulati,
rogavere, quando varios rumores, & magna per illum sese effe-
cturum hostis spargeret, ne in ditionem Foederatorum, nisi se pra-
monitis, accederet. Idem lib. XV. Philippus Gulielmus Princeps
Arausionensium, qui, ut supra relatam, custodie exemptus, in aula
Alberti victitabat, abeuntem in Hispaniam quoque ad solemnia
nuptiarum sequebatur, & in transitu ab Arausionensibus inaugura-
tus, Blacono praefecto, paterno exemplo Principis instar illi agentis
codicillis potestatem sancivit. Fusius solemnia homagii Arau-
sionensium describit Meteranus lib. XX. De nuptiis & con-
firmato Principatu Philippi, Thuanus lib. CXXXVI. Inter haec
Philippus Gulielmus Nassovius tot annorum in Hispania capti-
vus & pristinae libertati ac bonis restitutus, Helionoram Bor-
boniam Condae sororem in uxorem accepit: ultra dotem hanc a
Rege gratiam consecutus, ut in antiquam Arausionensis Principa-
tus possessionem, a quo per haec bella dejectus fuerat, restitueretur.
Arce tenebat Blaconus ex Allobrogica Nobilitate vir primarius,

Pro-

Protestantium religioni addictus, quem vix tantum (nam initio tergiversabatur) scripto milite jussu Regis Digovierius ad accipien-
das condiciones compulit. Hugo Grotius *Annalium Belgico-
rum* lib. XV. Conjugium quoque illustre Nassaviae domui con-
tigit: Borbonia virgine Condae filia nupta Philippo Principi; qua
affinitate Rex ipsi illigatus, possessionem Arausionensis oppidi terraeq;
liberam restituit: quamvis Delphinus Senatus conventus sui par-
tem regnoque subiectam diceret. Meteranus lib. XXVII. Philip-
pus Arausionensis Principis primogenitus, qui tamdiu in Hispania
pro captivo habitus, uxorem duxit Principis Condae sororem, regis
sanguinis primariam virginem. Nuptie XXIII. Novembris re-
gis impensis in Fontebellaqueo celebratae. Cui insuper Rex Prin-
cipatum Arausionensem una cum omnibus libertatibus, prerogati-
vis & juribus, plene, imo longe amplius, quam ulli antecessorum
ejus, cum renuntiatione omnium jurium, quae regnum Galliae in
eum habere arbitratur, juncta luculenta dote, tribuit.

§. XXXIII. Philippo Wilhelmo anno CIOICXVIII. 1618
xx. Februarii demortuo, in Principatu Arausionensi suc-
cessit MAVRITIVS, eidemque anno CIOICXXV. XIII. Apri- 1625
lis vita functo, HENRICVS FRIDERICVS, Fratres.

Philippus Wilhelmus anno CIOICLIV. XIX. Decembris na-
tus, improlis; *Mauritius* anno - - LXVII. XIII. Novembris in
lucem editus, caelebs, decessere.

§. XXXIV. HENRICVS FRIDERICVS, qui Foe-
deratorum Belgarum fortunam gloriosis victoriis auxit,
anno CIOICXLVII. XIV. Marti decedens, Arausionensem 1647
Principatum ad superstitem unicum filium WILHEL-
MVM II. Caroli I. Magnae Britanniae generum trans-
misit.

Henricus Fridericus, Wilhelmo I. & Aloisia Colinia an-
no CIOICLXXXIV. XXVIII. Febr. natus, a fratris Mauricii obi-
tu Arausionensem Principatum rexit. Wilhelmus II. an-
no CIOICXXVI. XXVII. Maji natus, anno CIOICXLI. Mariae
Britannicae conjunctus est.

§. XXXV.

AK Th 4875

36

§. XXXV. Wilhelmus II. anno CIOCL. VI. No-
vembri fati concedens, conjugem prægnantem reliquit,
quæ brevi post (vi. Novembri) posthumum enixa, vere
a Deo datum WILHELMVM HENRICVM, Principem
Arausionensem, extinctis divino nutu invidis, Belgii a
Rege Gallia pressi Liberatorem, Magnæ Britannia alio-
quin subjugandæ Regem, malorum depulsores, rebellis
Hybernia Domitorem.

Quem una cum MARIA Regina, REX RE-
GVM AC DOMINVS DOMINANTIVM in
Hostium terrorem, afflictæque Europæ solatium,
seruet ac conseruet.

Arausionensia sub hoc inclyto Principe, fata alio tempo-
re, *σὺν θεῷ*, exponemus.



§. XXXV.

Th 4875



B. M. Th. 46:
H. 6, 13.

ORIGINE
PH
ARAV

VVI
MAGN

CASPA
HISTOR

IO. C

ONEM

IVM

II.
NIAE

S, D.
OF. P.

NCK

II m
4875

